



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 68. Aliæ ejusdem Pontificis Constitutiones circa Ecclesiæ negotia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. *Monachi S. Benedicti Cisterciensis Ordinis*
A.C. 1586. *Regulam observare valeant, interdicit ta-*
 men Cisterciensium Abbati, ceteris-
 que ejusdem Ordinis Superioribus, eo-
 rumque Successoribus, ne eos mole-
 stent, interturbent, aut ad rigorem no-
 væ observantiæ aliqua ex parte re-
 mittendum cogant, in reliquis vero
 illos eorum jurisdictioni adhuc subje-
 ctos fore declarabat.

§. LXVIII.

Alicæ ejusdem Pontificis Constitutio-
nes circa Ecclesiæ negotia.

Bull. Const.
33. & seq.

Hoc item anno Sixtus V. plures alias
 edidit Constitutiones, in quarum
 prima die decima quarta Maji stabilitur
 approbatio, declaratio, & extensio con-
 stitutionum editarum a Pontificibus præde-
 cessoribus circa solutionem Annatarum,
 Communionum, & aliorum jurium, de
 beneficiis Ecclesiasticis Romanæ Camera
 Apostolicæ debitorum.

II. Die decima septima Maji habetur
 confirmatio, & nova concessio gratiarum,
 & privilegiorum Ordini Cisterciensi, ejus-
 que Abbatibus, Monachis, & Monaste-
 riis a Gregorio IX., Innocentio IV., Six-
 to IV., Innocentio VIII., Pio IV.,
 Pio V., Gregorio XIII. & aliis summis
 Pontificibus concessorum.

III. Alio

III. Alio diplomate die nona Julii Sæcul. XVI.
A.C 1586.
statuitur, quod *Eremitæ S. Romualdi Montis coronæ*, *Ordinis Camaldulensis sub regula S. Benedicti*, alterius *Ordinis Religiosos recipere possint: ipsi vero non ad alium Ordinem, ac nequidem ad Eremum Camaldulensem transire valeant.*

IV. Ejusdem Mensis die decima nona novo diplomate decernitur *jurisdictio S. R. E. Cardinalium, & Judicis causarum Archiconfraternitatis B. Maricæ Virginis de Urbe Consalonis nuncupatæ, ad redemptionem captivorum ab infidelium servitute, aliaque pia opera exercenda dudum instituta.*

V. Die prima Septembris agitur de *jurisdictione S. R. E. Cardinalis Protectoris, & Judicis causarum Collegii Cantorum Capellanorum Romani Pontificis, cum privilegiorum, & gratiarum concessione.* Eodem Mense die undecima alio diplomate Papa hortatur omnes *Christi fideles, ut Rhemensi Collegio pro Catholicis Anglis a Sede Apostolica instituto pie, & liberaliter subveniant, præterea rogat Imperatorem, Reges, & Principes christianos, ut Anglos propter justitiam persecutionem patientes juvent, & foveant.*

VI. Tertia Septembris die alia Constitutione Papa præcipit, ut *Fratres Minores Ordinis S. Francisci de observantia licite retineant loca, quæ etiam sine titulo possident.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1586.

possident, dummodo Ordinariorum consensus accedat, quoad ea, quæ a decem, vel circiter abhinc annis hucusque possederant.

VII. Alia exstat Constitutio, qua Pontifex die vigesima secunda Septembris præscribit numerum, & qualitates Prælatorum Referendariorum utriusque signaturæ Romani Pontificis cum privilegiorum concessione.

VIII. Trigesima ejusdem Mensis Papa voluit, ut Communitates Status Ecclesiastici pro aliis obligatæ, infra annum ab earum obligationibus liberentur, & præcepit, ut de cetero pro aliis se obligare, & eorum bona alienare, ac præterquam ratione locationis obligare, vel Oratores sumptibus publicis ad Pontificem mittere nequeant absque speciali licentia.

§. LXIX.

Ejusdem Pontificis Constitutio, quæ incipit: detestabilis, contra usuras.

Bull. Const.
45. p. 599.

Sixtus V. jam anno priori die prima Maji Constitutionem ediderat, qua Cardinales, qui beneficia, ac pensiones a Melitensi Ordine etiam per Sedis Apostolicæ nominationem possederant, ad solita jura communi ærario persolvenda obstrinxerat: porro currente hoc anno die tertia Octobris Principes, qui
extra